



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

VIII. De vers. 8. Veruntanem oculis tuis considerabis &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Hæc est enim voluntas Dei, ut *beneficientes*, non modo tabescere malignorum dæmonum invidiam, verum etiam *obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Nunquid tamen in æternum erit nobis hæc protectio necessaria? Aut certe ab utroque latere hostile agmē instabit? Erit quando non modo non instabunt, sed nec stabunt quidem. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Si quidem nec humanā malitia jam tunc habebit quid faciat: nec dæmonum millia plus verebimur, quam totidem vermium agmina vel muscarum, Haud aliter deniquē intuebimur eos quā filij Israel transmissio jam mari rubro undique sui Ægyptios mortuos, sed & rotas curruum ire in profundum cernebant, ut & nos scilicet (longe tamen securius & delectabilius) cantemus Domino quod gloriose honorificatus sit, equum & ascensionem ejus deiiciens in abyssum.

S E R M O VIII.

De *ps. VIII.* *Veruntamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.*

Brevius quidem vobis aliquandò, dilectissimi, loqueremur, si crebrius id liceret: quod & vos credimus nonnunquam advertere potuisse. Cæterum quotiens ipsa diei præoccupante malitia, pluribus fortè diebus molestissimum sustinuimus à vestra exhortatione & consolatione silentium, neminem vestrum reor oportere mirari, si tempus ipsum redimere cupientibus nobis, sermo rarior interdum protractior videatur: Hoc sane nobis actum sit brevi præmio, ut hesterni pariter hodiernique sermonis, illius quidem prolixitas hujus verò brevitatis excusata apud vos habeatur. Vereor siquidem minus gratam fore nonnullis vel fuisse illam, vel istam fore, aut magis utramque quā alteram. *Scuto, inquit, circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno: A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurso & demonio meridiano. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit.* Diximus hinc præcedentibus sermonibus, quod dignata est veritas ipsa largiri, quemadmodum scilicet fidelem animam interim quidem à tentationibus, postmodum verò à difficultatibus tueatur. Quæ tamen utraque brevius quidem in alio psalmo idem iste Propheta commendans; *In te, inquit, eripiar à tentatione, & in DEO meo transgrediar murum;* quod ipso nimirum duce. nec hic gradiens offendiculum, nec egrediens

Psal. 17. d

In Psalmum XC. Qui Habitat, Serm. VII. 519

diens hinc obstaculum pateretur. In altero ergo crebra ereptio, in altero plena jam & secunda liberatio designatur. Nam in hoc sane tertio quod adiungit: *Veruntamen oculis tuis considerabis*, etiam felicitatis non modicæ promissionem arbitror contineri. *Cadent inquit, à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Veruntamen oculis tuis considerabis.* Ita oro Domine, ita fiat. Cadant illi, & non cadam ego: paveant illi, & non paveam ego: confundantur illi, & non confundar ego.

Evidentius siquidem paucis hoc loco verbis & animæ mihi immortalitas commendatur, & ipsius quoque fides astruitur corporeæ resurrectionis. Nempe ruentibus illis futurus sum ipse qui videam, & ne isti quoque quibus eorum novissimam intuear retributionem oculi defuturi. Neque enim simpliciter oculis, sed *oculis (ait) tuis considerabis*: istis utique qui nunc languent præ inopia, & deficiunt dum speras in DEUM tuum. Et vere, Fratres, deficiunt oculi dum speramus. *Quod enim videt quis, quid sperat, spes, inquit, quæ videtur, non est spes.* Ipsis ergo jam tunc considerabis oculis, quos modo quidem nec levare audeas ad cælum, ipsis planè qui totiens interim fluunt lachrymis ac crebris compunctionibus atteruntur. Nec enim novos tibi instaurandos putes, sed tuos utique restaurandos. Quid tamen de oculo dixerim, etsi minutissima, eminentissima tamen excellentissimaque humani corporis portione? Reposita est in sinu nostro beata spes ex promissione utique Veritatis, nec capillum quidem de capite peritutum.

Forte tamen idcirco signanter visio promittitur oculorum, quòd hoc quidem summum interim animæ desiderium videatur, ut videat bona: *Credo, inquit, videre bona Domini in terra viventium.* Supremas nimirum corporis sui fenestras supernæ aperiri desiderat veritati, per speciem magis ambulare gestiens quàm per fidem. Sanè fides ex auditu, non ex visu. Denique *substantia est sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Et in fide ergo sicut & in spe deficit oculus, auris proficit sola. *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ait Propheta, sed quandoque etiam oculus revelabit.* Erit quando jam non dicetur &: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam: sed leva potius oculos tuos & contemplare.* Quid? Planè *inquietudinem & exultationem, quam thesaurizat super te Deus tuus.* Quid? Planè non ea modo quæ interim quidem etsi non videre adhuc & audire, tamen & credere potes: verum etiam quod sicut non vidit oculus, sic nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit DEUS diligentibus se. Nimirum tanta capiet oculus resurrectionis, quanta nec auditus, nec animus ipse nunc capiat. Ob hanc denique tam vehementem

Anima immortalitas & fides resurrectionis.

b Rom. 8. c

d Psal. 26. d

e Heb. 11. a

f Isa. 50. b

g Psal. 44. a

h Isa. 64. b

& 2. Cor. 2. b

Iob. 22. d

mentem animæ concupiscentiam videndi scilicet quod audit & credit, alium quoque evidentissimum futuræ præconem resurrectionis, ipsorum propriam mentionem fecisse arbitror oculorum. Rursum, ait ^z, *circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse & non alius, & oculi mei conspiciuntur sunt.* Et adjecit: *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

Psal. 90. b

Forte tamen considerandum attentius quod ait, *oculi mei*, sicut & in psalmo ^k, *oculis tuis considerabis.* Nunquid enim mei esse oculi nunc videntur? Planè non mei. Nonnunquam sanè visi sunt fuisse mei, quod ipsi quoque ad eam pertinere noscantur, quam male servaturus accepit paternæ substantiæ portionem. Nempe velociter profligata est, universam citius dissipavi. Occupavit membra omnia lex peccati, libere intrabat mors per fenestras meas, cuius nimirum factus eram servus etiam ego ipse. Miser equidem servus, non sanè homini serviens, sed immundo pecori & cœnoso. Neq; enim mercenaria saltem conditione famulabar, sed planè fervili. Nisi forte mercedem quis dari putet, cui etiam cibus negatur, cibus quoque ipsa esurie perniciosior. Cupienti siquidem porcorum siliquas nemo dabat, ut porcis viverem, nec conviverem porcis. Deinde nunquid meus tunc oculus erat, quando deprædabatur animam meam? Qua quidem necessitate demum coactus sum beneficium resignare in manu dominatoris, ut quod omnino non poteram, ipse sibi illud abhostili tyrannide vendicaret.

*Membra Deo
semel man-
cipata, cave
rursus usur-
pes.*

*Quod DEO
semel conse-
cratum, am-
plius ad hu-
manos usus
transferri non
debet.*

Considerate attentius, dilectissimi, & animadvertite, in quanta potestate evaseritis Pharaonis intolerabile jugū: ut jam membra vestra non sint arma iniquitatis peccato, nec regnet ultra in mortalibus corporibus vestris. Non est hoc operis vestri, fratres, dextera Domini facit virtutem, solus hoc potest ille, qui nihil omnino non potest. Ne dixeritis, manus nostra excelsa, sed tam salubriter quam veraciter confitemini, quia Dominus facit hæc omnia. Denique nemo sibi dubitet omnimodis esse cavendum, ne fortè donec adhuc dies mali sunt, & nulla usquam securitas homini, hanc suam possessionem de manu tam pii tamque providi tutoris, in periculosam perniciosamque interim libertatem recipere velle præsumat. Quod enim æmulatur pater, pro te æmulatur: nec invidentiæ, sed providentiæ est quod sibi totam jubet manere substantiam, ne pereat tibi. Deniq; ubi ad magnam illam sanctamque civitatem perveneris, cuius fines posuit pacem, ubi nullus jam hostium timeatur incursus, non modo reddet te tibi, sed dabit insuper & seipsum. Interim sanè à voluntatibus tuis avertere, & Deo dicata membra nulla tibi temeritate usurpes, sciens quod pietati sanctificata, non absque gravi sacrilegio in usus vanitatis,

In Psalmum XC. Qui Habitat, Serm. VIII. 521

tatis, curiositatis, voluptatis, aut eiusmodi secularis operis assumantur. *Nescitis* (ait Apostolus ¹) *quod corpora vestra templum sunt spiritus sancti* 1. Cor. 6. d. *quem habetis à DEO, & non estis vestri?* Et item: *Corpus*, inquit, *non fornicationi.* Sed cui? Nunquid tibi? Plane sit tibi liberum, sed si eripere illud, aut ereptum saltem deinceps à fornicationis impetu vindicare propriis viribus potes. Quod si forte non potes, immo quia vere non potes, sit corpus non fornicationi, sed domino: serviâtque interim sanctificationi, ne corruptioni denuo peius servire contingat. *Humanum dico* (ait Apostolus ^m) *propter infirmitatem carnis vestra. Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiae in sanctificationem.* Verum id quidem propter infirmitatem, ut ipse quoque præmisit. Cæterum ubi resurrexerit in virtute quod in infirmitate fuerat seminatum, nulla jam erit necessitas serviendi. Ubi & securitas libera fuerit, & segura libertas, quidni multo magis reddat eum sibi? Quidni potius libertate donet fidelem servum magnus ille paterfamilias, quandoquidem & super omnia bona sua constituet eum?

Jam tunc ergo oculis tuis considerabis, si tamen eos fideliter agnoveris interim esse eius, non tuos. Nam & præter eam quam diximus voti utique tam necessarij rationem, quo nimirum membra ipsa quæ tibi à peccati tyrannide vindicare omnino non posses, propriis abrenunciatis voluntatibus, divino cultui mancipasti: nunquid vel modo tua esse videntur, in quibus adhuc contraria lex etsi non regnat, habitat tamen: in quibus poena peccati, secundus equidem hostis tuus, non modo manet, sed & prævalet, & libere dominatur? Tu ne tuum dixeris corpus quod mortuum est propter peccatum, aut animæ esse, quod animam aggravare non cessat? Plane si quis suum illud dicere cupit, non aliud convenienter dixisse videbitur, quam onus suum, quam carcerem suum. Alioquin quoniam modo tuos dixeris oculos, quos sanè (vis non vis) totiens somnus occupat, fumus turbat, exiguus pulvis sauciat, noxius humor obnubilat, dolor acerbis excruciat, vel ipsa demum novissima mors excæcat? At tunc planè tui erunt, quando omnia ista non erunt, ut vere jam tuis oculis considerare sit, quibus nimirum pro libitu deinceps utaris ad omnia tam libere quam secure. Neque enim avertendi de cætero erunt oculi ne videant vanitatem, quòd purissimam videant veritatem: multo minus intrabit per fenestras mors, quòd ipsa quoque inimica novissima destruat. An verò times eos è tãta plenitudine luminis, ubi singuli justis tanquàm singuli soles fulgeant, aliquãdo caligaturos fore? Timendū id planè, si non ipsos quoque oculos sicut cætera humani corporis membra resurrectio glorificaret.

Et retributionem peccatorum videbis. Hoc planè eis grave tormentum, &

m Rom. 6, e

Membra & corpus nostrum, non tam nostrum quam DEI per votum at inimici per peccatum.

Oculi quando plane nostri erunt.

Quare & quomodo de visis iniquorum suppliciiis sancti gaudeant.

1. Quia eadem se per misericordiam DEI evasisse vident.

n Matt. 13. f

2. Quia visa retributione peccatorum iusti erunt plenè securi.

tum, & magnus quidam malorum cumulus erit. Fortè enim quodcunque solatium videretur, eorum quos tam malitiosè impugnaverint, in tormentis suis, vel conscientiam latere, vel ipsos saltem declinare posse conspectus. Veruntamen etsi illis ex hac nostra consideratione immensum quoddam miseræ pondus accedat, nobis quæ necessitas erit, quæ utilitas, quæ voluptas? Quid enim modo tam irreligiosum, imò quid tam inhumanum & execrabile videretur, quam cruore quantumlibet inimicorum, quantumlibet iniquorum pascere velle oculos, & oblectare aspectus suppliciiis miserorum? Attamen sicut videbit peccator & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet (prius enim benedicti vocabuntur in regnum, quàm maledicti in caminum dejiciantur ignis æterni, quo videlicet acrius doleant videntes quid amiserint) sic iusti quoque videbunt & lætabuntur considerantes quid evaserint. In illa ergo tanta separatione quemadmodum hædis agnorum divisio gravissimi livoris occasio fiet, sic electis è regione consideratio reproborum, immensa quædam materia gratiarum actionis & laudis. Unde enim iusti tam magnificè gratias agerent, nisi cum illa inexcogitabili felicitate qua perfruuntur, ipsam quoque retributionem cernerent injustorum, à quibus equidem sola misericordia Redemptoris segregatos sese fidelissimè & devotissimè recordantur? Unde verò impii tanto animi furore tabescerent, nisi regnum summæ beatitudinis coram sese vidissent alios introduci, & tunc demum in illos sese fœtores, in illos horrores, in illos æterni incendii cruciatus, in illas denique immortalis mortis miserias gemerent esse damnatos? *Ibi enim, inquit, erit fletus & stridor dentium.* Fletus quidem ob ignem qui non extinguitur; Stridor verò ob vermem qui non moritur. Planè fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. Fletum nempe tormentorum immanitas, stridorem dentium vehementia ipsa tabescentis invidia, & obstinata malignitas extorquebit. Ita ergo retributionem peccatorum videbis, ne videlicet ignarus tanti periculi, ingratus aliquando Liberatori posse fieri videaris.

Non solum autem, sed securitas perfecta iustorum, erit visa retributio peccatorum: quo videlicet nec humanam aliquando, nec diabolicam ultra vereri malitiam possint qui nimirum cadentibus à latere suo mille, & decem millibus à dextris suis, non modo eos cadere viderint, sed & cadere in gehennam. Putas enim timere adhuc non poterant, & calidiorum cunctis animantibus serpentem habere suspectum, præsertim seductæ quondam in paradiso non immemores mulieris: nisi cum toto jam corpore suo ultricibus traditum flammis, & inter se & eum magnum planè jam chaos firmatum esse conspicerent.

Ter-

In Psalmum XC. Qui Habitat, Serm. VIII. 523

Tertium quoque hoc nihilominus peccatorum tibi consideratio ipsa præstabit, ut ex comparatione deformitatis eorum eminentius gloriosiusque resplendeas. Sic nimirum sibi invicem collata contraria; suæ quidem utrumque videtur suscepisse augmentum aliquod qualitatis; ut album nigro si conferas, & hoc candidius, & illud tetrius apparebit. Sed audi certius super hoc testimonium propheticum sermonem; *Letabitur, ait °, justus cum viderit vindictam.* Ut quid ita? *Manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Planè non inquinabit in sanguine, sed *lavabit*: Ut unde ille cruentus magis, inde ille nitidior videatur. Unde ille plus sordet, inde iste pulchrius eluceat.

3. Quia comparatione status tam dissimilia illustrior evadit gloria justorum.
*o Pl. 57. b

Nullam forte ex his tribus causis humanus refugere vel modo inveniatur affectus: sed non propter aliquid horum Sapia in eorum ridebit interitu, quod tamen sine ulla dubitatione factura est. Nempe ipsa prædicat quæ mentiri omninò non potest P. *Quia vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* Et post pauca: *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo cum vobis quod timebatis advenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit.* Quid ergo in insipientium interitu Sapientia credimus placitum, nisi justissimam suam dispositionem, & irreprehensibilem ordinem rerum? Sanè quod Sapientia tunc placebit, sapientibus quoque placeat necesse est universis. Non igitur tibi durum videatur fore quod dicitur, *Oculis tuis considerabis*: quando & ridebis in eorum interitu: non quòd velut quadam immanitate crudelitas in ipsa tibi in ultione complacet, sed quòd modus ipse pulcherrimus divinae ordinationis ultra quam credi possit, justitiae zelatorem & amatorem æquitatis oblectet. Ubi optimè omnia constituta, & suum cuique cessisse locum, immo, in suum quemque cessisse, plenius & perfectius illustrante veritate cognosces: quomodo non omnia considerare, & in omnibus omnium moderatorem magnificare libebit? Pulchrè omnino Petrus Apostolus *filium perditionis in locum suum abiisse* testatus est, quod in aere crepuerit medius aeriarum collega potestatum: ut pote quem veri Dei & veri pariter hominis, qui de cælo venisset operaturus salutem in medio terræ: huius inquam proditorem, nec cælum reciperet, nec terra sustineret.

* p Prov. i. c

4. Quia ordi-
divinae sapien-
tia & justitia
piis, ut pote sa-
pientibus &
iustis non po-
test non pla-
cere.

q Acto. i. c*

Itaque oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis. Primo quidem ob tuam evasionem, secundo ob omnimodam securitatem, tertio quoque ob comparationem, quarto ob ipsius justitiae perfectam æmulationem. Erit enim jam tunc non misericordiae, sed iudicii tempus: nec ulla omnino credenda est erga impios futura illius miseratione, ubi nec ulla speranda est correctio. Procul erit humanae infirmitatis

Sancti nulla
erga impios &
damnatos com-
miseratio.

ista mollities, qua tamen interim pro tempore charitas utitur ad salutem, amplissimo quodam videlicet expansæ sagenæ sinu & bonos & malos colligens pisces, id est affectus jucundos pariter & molestos. Verum hoc quidem in mari. Nam in littore solos eliget bonos, sic videlicet gaudens cum gaudentibus, ut ex hoc jam cum flentibus flere non possit. Alioquin quomodo in nobis judicabitur hic mundus, nisi huius teneræ affectionis obliti, introductique fuerimus in cellam vinariam, secundum eum qui dixit ^r: *Introibo in potentias Domini, Domine memorabor justitiæ tuæ solius?* Nec modo quidem considerare permittimur personam pauperis, aut misereri eius in iudicio: sed cum molestia licet, coercendus eiusmodi pietatis affectus, & æquiritatis est distanda sententia. Quanto magis ubi nulla animi colluctatio, ubi nulla poterit subintrare molestia, oportet impleri quod dictum est ^s: *Absorpti sunt iuncti petra, iudices eorum?* Absorpti planè in affectum justitiæ, & petrae soliditatem cui iuncti sunt imitantes. *Iuncti*, inquit, *petrae*, quam profecto solam ut sequerentur, cetera omnia reliquerunt. Nempe hoc est quod interroganti Petro quidnam accepturi essent, Petra ipsa respondit ^t: *Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Hæc quoque Propheta prænuncians ait ^u: *Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui.* Tu ne putes flexibile quippiam inveniendum in iudiciis iunctis Petrae. Qui adhæret DEO, Apostolus ait ^x, *unus spiritus est*: qui & petrae jungitur, lapis unus. Ad quod sanè Propheta non immerito suspirans. *Mihi*, inquit ^y, *adhærere Deo bonum est.* Ita ergo absorpti sunt iuncti petrae iudices eorum. O familiaritatis gratiam, o honoris culmen, o fiduciae privilegium, o prærogativam securitatis perfectæ!

Quid enim tam pavendum, quid tam plenum anxietatis, & vehementissimæ sollicitudinis excogitari potest, quàm iudicandum astare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc expectare sub tam districto Iudice sententiam? *Horrendum est* (ait Apostolus ^z) *incidere in manus Dei viventis.* Judicemur interim, Fratres, & terribilem illam expectationem præsentem studeamus declinare iudicio. Non iudicabit DEUS bis in idipsum ^a. Sanè, ut quorundam peccata, sic & quorundam studia bona manifesta sunt præcedentia ad iudicium: ut illi quidem non expectantes sententiam, proprio statim pondere criminum in tartara deiciantur: isti verò è regione paratas sibi sedes tota libertate spiritus sine ulla cunctatione conscendant. Felix paupertas voluntaria omnium relinquentium, & sequentium te Domine Jesu. Felix planè quæ tam securos, imò tam gloriosos faciat in illo singulari fragore elementorum, & in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto discrimine iudiciorum. Jam verò audiamus

^r Pſal. 70. c

^s Pſal. 140. b

^t Matt. 19. d

^u Eſa. 3. c

^x 1. Cor. 6. d

^y Pſal. 72. d
& 140. b

*Dei iudicium
futurū quam
terribile.*

^z Heb. 10. f

^a 1. Tim. 5. d
*Minus tamen
his qui nunc
seipsos iudi-
cant.*

In Psalmum XC. Qui Habitat, Serm. IX. 525

audiamus quid ad tantas promissiones devota & fidelis anima respondeat, ne forte aut diffidere, aut secus quam oporteat fidere videatur. *Quoniam tu es, inquit, Domine, spes mea.* Quid tam sobriè, quid tam piè poterat dici? Sed nec aliud huic verbo videtur posse convenientius responderi, quàm quod sequitur: *Altissimum posuisti refugium tuum.* Cæterum ignoscite nobis, Fratres, hodie quoque promissæ etiam terminos brevitatis paulominus excessisse videmur.

S E R M O IX.

De *ψ. IX. Quoniam tu es Domine spes mea, altissimum posuisti refugium tuum.*

ETiam, Fratres, hodie aliquid audiamus de promissione Patris, de expectatione filiorum, de fine huius nostræ peregrinationis, de mercede laboris, de fructu captivitatis. Et quidem dura omnino captivitas, non modo illa communis, quam ex ipsa jam conditione generis toleramus humanis sed hæc quoque, qua voluntates mortificare proprias, etiam perdere proprias in hoc mundo animas festinantes, in hos tam rigidæ compedes disciplinæ, in hunc tam gravis pœnitentiæ carcerem dedimus nosmetipsos. Miseranda servitus planè, sed si coacta, sed si non spontanea videretur. Nunc verò cum voluntariè sacrificetis Deo, nec ingeratur ulla, nisi per ipsam voluntatem violentia voluntati, profecto aliquid in causa est. Illud puto aliquid, quo maius aliquid esse non potest. An verò plangendum videtur quamlibet magnum, quamlibet laboriosum, quod propter DEUM fiat? Et si magnitudo ipsa laboris interdum fortè extorqueat compassionem, sed multò magis causæ consideratio exigit congratulationem. Quid, quòd bona omnia non modo propter eum constat fieri, sed per eum? DEUS enim est, qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona voluntate^a. Ipse ergò auctor, ipse remunerator operis, ipse remuneratio tota: ut summum illud bonum, cuius nimirum tam perfecta est simplicitas in seipso, duplex quodammodo videatur in nobis causa bonorum, effectiva scilicet, & finalis. Benè ergò, dilectissimi, quòd in his omnibus tam multis laboribus vestris non modo subsistitis, sed etiam superatis, propter eum qui dilexit vos. An verò non per eum? Et manifestè. *Sicut enim abundant pro Christo tribulationes nostræ (ait Apostolus^b) ita abundant etiam consolationes nostræ per ipsum.*

Omnia dura & aspera propter DEUM, & per eum levata ac facienda.

^a Philip. 2. b

^b 2. Cor. 1. a

Usitatus sermo, communis sermo, propter Deum, sed planè ubi non vacuè dicitur profundissimus sermo. Crebro sonat in ore hominum, etiam à quorum corde longe esse probatur. Omnes sibi propter DEUM

Propter DEUM vox frequens

Yuu 2

præstari